



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Iustitiam atq[ue] religionem, sine metu; metum sine Dei ira, non  
custodiri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

millimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens: sic summis, & infimis, & medijs interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione ciuitas, consensu dissimillimorum, consistit: & qua harmonia à

Plutarch. lib.  
de doct.  
Princip.

Musici dicitur, in cantu, ea est in ciuitate concordia, qua sine iustitia, nullo pacto esse potest. Pari pacto prisca mortales scripserunt, & docuerunt, absq; iustitia, Principatum gerere, ne Ionem quidem ipsum posse.

III.  
Lactant. lib.  
de ira Dei.  
Cap. 8.

Quod si religio tolli non potest, inquit Lactantius, ut & sapientiam, quā distamus a belluis, & iustitiā retineamus, quā communis vita sit tutior: quomodo religio ipsa sine metu teneri ac custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utiq; non colitur. ita fit, ut religio, & maiestas, & honor metu constet; metus autem non est, ubi nullus irascitur. Siue igitur gratiam Deo, siue iram, siue utrumq; detraxeris; religionem tolli necesse est: sine qua, vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multum enim refranat homines conscientia, si credamus nos, in conspectu Dei, viuere: si non tantum, qua gerimus, videri desuper, sed etiam qua cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo putemus. Sicut ergo fundamentum est, & primus religionis gradus, Credere Deum, ubiq; presentem; sicut alter gradus est, Credere non modo presentem, sed etiam omnia videntem, & providentem, suosq; neg, in ijs, qua ad vitam, neg, qua ad famam, neg, qua ad pacem, neg, qua ad salutem pertinent (quæ omnia ingentem in hominibus spem ædificant) destituentem, ita necesse est, credere, eiusdem iustitiā atq; iram sceleribus humanis imminuentem, ut fructuose metuamus.

IV.

Hic ergo rursus quorandam improborum scopulus est, quem recta sapientes, cum laude & lucro, declinant. Nam mali, cum mala vident, in orbe, quæ meruerunt, vel casu ea euenire, vel immerentibus immitti arbitrantur. Quare naufragium faciunt, quia non aspiciunt ad diuinæ iustitiæ cynosuram. Hoc est, quod velut optando prædicit Propheta: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Non enim vident, se, quia mali sunt, mala commeruisse. *Curuum pecus*, cuius dorsum, dum in terram arcuatur, oculi quoque deorsum declinati nequeunt sursum, atque ea, quæ de cælo veniunt, intueri. Hinc feriri se sentiunt, puniri non animaduertunt. Hinc plagam aspiciunt, pœnam non agnoscunt. Quid fiat, non cur fiat, considerant. Hinc murmurant,

Psalms. 68. 24.

vt pec-